

P. VERGILI MARONIS GEORGICON LIBER QVARTVS

His quidam signis atque haec exempla secuti
esse apibus partem divinae mentis et haustus 220
aetherios dixere; deum namque ire per omnes
terrasque tractusque maris caelumque profundum.
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
quemque sibi tenues nascentem arcessere vitas;
scilicet huc reddi deinde ac resoluta referri 225
omnia nec morti esse locum, sed viva volare
sideris in numerum atque alto succedere caelo.

Siquando sedem angustam servataque mella
thesauris relines, prius haustu sparsus aquarum
ora fove fumosque manu praetende sequaces. 230
Bis gravidos cogunt fetus, duo tempora messis,
Taygete simul os terris ostendit honestum
Pleas et Oceani spretos pede reppulit amnes,
aut eadem sidus fugiens ubi Piscis aquosi
tristior hibernas caelo descendit in undas. 235
Illis ira modum supra est, laesaeque venenum
morsibus inspirant et spicula caeca relinquunt
adfixae venis animasque in vulnere ponunt.
Sin duram metues hiemem parcesque futuro
contunososque animos et res miserabere fractas, 240
at suffire thymo cerasque recidere inanes
quis dubitet? nam saepe favos ignotus adedit
stellio et lucifugis congesta cubilia blattis
immunisque sedens aliena ad pabula fucus
aut asper crabro imparibus se immiscuit armis, 245
aut dirum tiniae genus, aut invisae Minervae
laxos in foribus suspendit aranea casses.
Quo magis exhaustae fuerint, hoc acrius omnes
incumbent generis lapsi sarcire ruinas

complebuntque foros et floribus horrea texent. 250
 Si vero, quoniam casus apibus quoque nostros
 vita tulit, tristi languent corpora morbo—
 quod iam non dubiis poteris cognoscere signis:
 continuo est aegris alius color, horrida vultum
 deformat macies, tum corpora luce carentum 255
 exportant tectis et tristia funera ducunt;
 aut illae pedibus conexae ad limina pendent,
 aut intus clausis cunctantur in aedibus, omnes
 ignavaeque fame et contracto frigore pigrae.
 Tum sonus auditur gravior, tractimque susurrant, 260
 frigidus ut quondam silvis immurmurat Auster,
 ut mare sollicitum stridit refluentibus undis,
 aestuat ut clausis rapidus fornacibus ignis:
 hic iam galbaneos suadebo incendere odores
 mellaque harundineis inferre canalibus, ultro 265
 hortantem et fessas ad pabula nota vocantem.
 Proderit et tunsum gallae admiscere saporem
 Arentesque rosas aut igni pingua multo
 defruta vel psithia passos de vite racemos
 Cecropiumque thymum et grave olentia centaurea. 270
 Est etiam flos in pratis, cui nomen amello
 fecere agricolae, facilis quaerentibus herba;
 namque uno ingentem tollit de caespite silvam,
 aureus ipse, sed in foliis, quae plurima circum
 funduntur, violae subluet purpura nigrae; 275
 [saepe deum nexis ornatae torquibus arae;]
 asper in ore sapor; tonsis in vallibus illum
 pastores et curva legunt prope flumina Mellae.
 Huius odorato radices incoque Baccho
 pabulaque in foribus plenis adpone canistris. 280